

eadem avaritia dicitur: Hec est oculus eorum in universa terra. Ecce talentum plumbi portabatur. Quid est talentum plumbi, nisi ex eadem avaritia pondus peccati? Et ecce mulier una sedens in medio amphorae. Quam mulierem ne fortassis que esset, dubitare possimus, illico angelus innouit. Nam illico mox sequitur: Et dixit: Hec est impietas. Et projecit eam in medio amphorae. Impietas in medio amphorae projicitur; quia nimirum in avaritia semper impietas tenetur. Et misit massam plumbi in os ejus. Massa plumbi in os mulieris mittitur: quia scilicet impietas avaritiae peccati sui pondere gravatur. Si enim ea que deorsum sunt non ambiret, erga Deum ac proximos impia nequaquam existeret. Et levavi oculos meos, et vidi: et ecce duae mulieres egredientes, et spiritus in alis earum. Quid aliud in his duabus mulieribus accepimus, nisi duo principalia vitia, superbiam videlicet et gloriam inanem? que impietati absque ulla dubitatione conjuncta sunt. Quae et in alis suis spirituum habere narrantur, quia in actionibus suis Satanae voluntati deserviunt. Ipsum quippe Propheta spiritum appellat, de quo Salomon ait: Si spiritus potestatem habentis ascenderit super te, locum tuum ne dimiseris. Et de quo in Evangelio Dominus dicit: Cum immundus spiritus exierit ab homine, ambulat per loca arida et inaquosa. Spiritus in alis earum est; quia superbia et inanitas gloria per omne quod agunt, Satanae voluntati famulantur. » Cetera deinde amphorae ita tropologicae prosequitur: « Et habebant alas, quasi alas milvi. Milvus semper naturae studet insidiari pulorum. Iste ergo mulieres alas habent quasi alas milvi, quia actiones earum diabolo sunt procul dubio similes, qui insidiatur semper vitae parvulorum. Et levaverunt amphoram inter caelum et terram. Superbia et vana gloria habent hoc proprium, ut eum quem inferant, in cogitatione sua super ceteros homines extollant, et modo per ambitum rerum, modo per desiderium dignitatum, quem semel captum tenuerint, quasi in honoris altitudinem elevent.

Qui autem inter caelum et terram est, et ima deserit, et superiora minime attingit. Levant ergo istae mulieres amphoram inter caelum et terram, quia superbia et inanitas gloria mentem per avaritiam honoris captam ita elevat, ut quoslibet proximos despicientes quasi ima deserant, et alta gloriantes petant. Sed tales quique dum superbiunt, et eos mente transeunt cum quibus sunt, et superioribus civibus minime junguntur. Amphora ergo levata inter terram et caelum dicitur: quia avari quique per superbiam atque inanem gloriam et proximos juxta se despiciunt, et superiora quae ultra ipsos sunt, nullatenus apprehendunt. Inter terram itaque et caelum feruntur: quia nec aequalitatem fraternitatis in infimis per charitatem tenent, nec tamen summa pertingere sese extollendo praevalet. Et dixi ad angelum qui loquebatur in me: Quo istae deferunt amphoram? Et dixit ad me: Ut edificetur ei domus in terra Sennaar. Eisdem amphorae edificatur domus in terra Sennaar: Sennaar quippe fetor eorum dicitur. Et sicut bonus odor ex virtute est, Paulo attestante, qui ait: Odorem notitiae suae manifestat per nos in omni loco, quia Christi bonus odor sumus Deo, et e contrario fetor ex vicio. Radix enim est omnium malorum cupiditas. et quia quodlibet malum per avaritiam gignitur, dignum est ut domus avaritiae in fetore construat. Sciendum quoque est quod Sennaar infissima vallis est, in qua turris a superbientibus edificari coepit, quae linguarum facta diversitate destructa est; quae scilicet turris Babilonem dicta est, pro ipsa videlicet confusione mentium atque linguarum. Nec immerito ibi avaritiae amphora ponitur, ubi Babylon, id est confusio, edificatur: quia dum per avaritiam et impietatem certum est omnia mala exurgere, recte haec ipsa avaritia, atque impietas in confusione prohibentur habitare. » Hec quae de avaritia dixit S. Gregorius, pari jure libidini, gula, ira, aedie, et cuivis alteri vitio attribuas. Amphora enim vini. est gula; fellis ira; torporis, aedia, etc.

## CAPUT SEXTUM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

Videt Zacharias quatuor quadrigas, in eisque equos quadruplices, scilicet rufos, nigros, albos et varios, portendentes quatuor monarchias sibi ordine succedentes, scilicet Chaldaeorum, Persarum, Graecorum et Romanorum, quibus successit regnum Christi stabile et aeternum. Unde secundo, vers. 9, jubetur facere coronam auream, eamque ponere in capite Jesu pontificis, aulique: Ecce vir Oriens (Chaldaice Messias) nomen ejus, et subter eum oriatur, et edificabit templum Domino. Ocasio hujus visionis fuit haec: Videtur Zacharias in fine capituli praecedentis amphoram cui insidebat impietas, transferri in Babylonem, ibique eam in basi quasi in loco stabili collocari. Jam videt circa impietatem hanc, et impium Babylonis imperium cetera regna confingere, illudque ei extorquere. Nam Cyrus et Persae ceperunt et vastarunt Babylonem. Deinde Alexander Magnus Darium et Persas cecidit juxta Babylonem, eoque ratione Babylonis imperium Persis ademit, et ad Graecos transtulit. Denique Romani illud idem Graecis ademptum sibi vindicaverunt. Hoc est quod a Deo audit Propheta vers. 8: Ecce qui egrediuntur in terram Aquilonis (in Babylonem quae Judaea est ad aquilonem), requiescere fecerunt spiritum meum in terra Aquilonis.

Hoc eodem paulo ante intratus est Daniel, cap. ii, 32, ubi in specie status quadriformis quatuor haec monarchias conspexit. Et cap. vii, 3, ubi easdem sub specie quatuor ferarum, scilicet leonae, ursi, pardis, et quarte horribilis ac variae depingi vidit: quae visio paucis annis ante Zachariam contigit, nimirum anno primo Balsasar, ut ibidem dicitur vers. 1, qui paulo post exsus fuit a Cyro Babylonem expugnante. Hoc vero Zachariae contigit sub Dario Hystaspis, qui post septennium regni Cambysis, Cyro in imperio Persidis successit, et Babylonem rebellantem rursus expugnavit. Quae circa ad has Danielis visiones altitudi Zacharias: unde vidit eosdem quatuor ventos, quos Daniel cap. vii, 2, inter se configentes; ac quatuor feras quatuor monarchias portendentes praecurrere, et destinare in regnum Christi aeternum. Prima enim Danielis fera respondet rufo coloris equorum Zachariae: leonae enim est rufo. Secunda fera Danielis, puta ursus, respondet nigro coloris equorum secundorum Zachariae: ursi enim sunt nigri. Tertia fera Danielis, puta pardus, respondet coloris albo equorum tertiorum Zachariae: pardus enim maculis albis inspersus est. Quarta fera varia Danielis respondet quartis equis variis Zachariae. Danieli enim et Zachariam secutus est S. Joannes Apoc. vi, ubi quatuor regna post Christum futura vidit depingi per quatuor equos: primum, album; secundum, rufum; tertium, nigrum; quartum, pallidum. Vide ibi dicta (1).

1. Et conversus sum, et levavi oculos meos, et vidi: et ecce quatuor quadrigae egredientes de medio duorum montium: et montes, montes aerei. 2. In quadriga prima equi rufi, et in quadriga secunda equi nigri, 3. et in quadriga tertia equi albi, et in quadriga quarta equi varii, et fortes. 4. Et respondi, et dixi ad angelum, qui loquebatur in me: Quid sunt haec, domine mi? 5. Et respondit angelus, et ait ad me: Isti sunt quatuor venti caeli, qui egrediuntur, ut sententiam Dominatore omnis terrae. 6. In qua erant equi nigri, egrediebantur in terram Aquilonis: et albi egressi sunt post eos: et varii egressi sunt ad terram Austri. 7. Qui autem erant robustissimi, exierunt, et querebant ire, et discurrere per omnem terram. Et dixit: Ite, perambulate terram: et perambulaverunt terram. 8. Et vocavit me, et locutus est ad me, dicens: Ecce qui egrediuntur in terram Aquilonis, requiescere fecerunt spiritum meum in terra Aquilonis. 9. Et factum est verbum Domini ad me, dicens: 10. Sume a transmigracione ab Holdai, et a Tobia, et ab Idaia, et venies tu in die illa, et intrabis domum Josiae, filii Sophoniae, qui venerunt de Babylone. 11. Et sumes aurum et argentum:

(1) Continetur hoc capite emblemata postremum exhibens quatuor quadrigas per equorum colores distinctas, quae significant monarchias adhibendas ad explendam Dei vitionem, 4-8.

Adjicitur visio ultima, primos de faciendae corona ex donis exsulium in Babylone, et imponenda Jesu pontifici, 9-11; secundo, de futuro Christi adventu, commendata ab illo Ecclesiae, sacerdotali illius ac regia potestate, 12, 13.

et facies coronas, et pones in capite Jesu filii Josedeo sacerdotis magni, 12. et loqueris ad eum, dicens : Hæc ait Dominus exercituum, dicens : ECCE VIR ORIENS NOMEN EIUS : et subter eum oriatur, et ædificabit templum Domini. 13. Et ipse ædificabit templum Domini : et ipse portabit gloriam, et sedebit, et dominabitur super solio suo : et erit sacerdos super solo suo, et consilium pacis erit inter illos duos. 14. Et coronæ erunt Helem, et Tobize, et Idaie, et Hem, filio Sophoniae, memoriale in templo Domini. 15. Et qui procul sunt, venient, et ædificabunt in templo Domini : et scietis quia Dominus exercituum misit me ad vos. Erit autem hoc, si auditu audieritis vocem Domini Dei vestri.

Vers. 1.

**1. ET CONVERSUS SUM, ET LEVAVI.** — « Conversus, » id est iterum, vel rursus levavi oculos, et vidi novam visionem : ponitur enim verbum, vel potius participium pro adverbio, per enallagen Hebraeis usitata. Ita Vatablus. Unde ex hoc loco non liquet an hæc visio statim successerit visioni præcedentis capitis, an vero post majus temporis intervallum.

Quatuor  
quadri-  
ge, quæ

**ET ECCE QUATOR QUADRIGE.** — Theodoretus quem sequuntur Palaicus et a Castro, per quatuor quadrigas accipiunt quatuor angelorum turmas, Judeorum res et commoda procurantium. Nam cap. 1, 8, vidit pari modo equos varios, albos et rufos, qui representabant angelos Judeorum tutelares, ut ibi dixi. Hi enim stant coram Domino, ut dicitur vers. 3, ad ejus jussa diversa circa regimen populi ejus exsequenda, juxta illud *Habacuca* iii, 8 : « Qui ascendes super equos tuos : et quadrigæ tuæ salvatio. » Et *Psal.* LXVII, 18 : « Currus Dei decem millibus multiplex, millia lætantium : Dominus in eis in sancto. » Unde et Elias in curru equorum igneorum, id est angelorum, raptus est in caelum, *IV Reg.* ii, 11. Et cap. vi, 17, Eliseus obsessus a Syris, « vidit montem plenum equorum et quadrigarum ignearum in circuitu suo, » puta angelorum, ad se tutandum. Jam hæc quatuor quadrigas, id est turmas angelorum, ita particulatim ex Theodoro applicat et explicat a Castro : Equi rufi, inquit, significant angelos ultores et sanguinarios, qui egressi a Domino manserunt in Judæa, ut Judæos sua virtute de hostibus ulciserentur et tutarentur. Quadriga angelorum, quæ nigris equis vehebatur, missa fuit in terram aquilonarem, ut per Medos et Persas excideret Babylonios hostes Judeorum. Quadriga angelorum alborum missa est post priorem, ut Judæos libertate donatos per eosdem Persas, hilares reduceret in patriam. Quadriga angelorum variorum missa est versus Austrum, ut hostes Judeorum eis felicitatem invidentes, pro varietate genitum continerent, ne ulla in re eis nocerent.

Sunt  
quatuor  
monar-  
chiae.

Verum communis Patrum et interpretum sententia est, hæc quatuor quadrigas significare

tertio, interim, donec hæc promissa impleta fuerint, de custodienda hac corona, tanquam futurorum signum, et constituenda ex gentibus Ecclesia, 14, 15.

quatuor monarchias circa impium Babylonis imperium decertantes, quas Deus sua providentiæ successive in lucem eduxit, rexit, mutavit pro libito ad suam potentiam et gloriam, præsertim circa populum suum per eas vel castigandum, vel prolegendum et promovendum, toti orbi ostendendam : itaque equos rufos denotare monarchiam Assyriorum et Chaldeorum, nigros Persarum, albos Græcorum, varios Romanorum. Ita S. Hieronymus, Cyrillus, Chaldaeus, Remigius, Haymo, Hugo, Albertus, Lyranus, Vatablus, Arias, Ribera, Sanchez, Ferrandus, et alii passim. Ratio hujus symboli quadrigarum est, quod monarchie jam dictæ quadrigis in bello utebantur, ex hisque depugnabant : quadrigæ ergo significant, quod ipse sua bellica fortitudine, vi et tyrannide obtulerint sua imperia. Nam per quadrigas intelligitur earum aurigas et sessores, uti et cap. i, 8, puta ipsos monarchas, eorumque duces et milites quadrigis insidentes, tum ad bellandum, tum ad triumphandum ad suam pompam et gloriam ostendendam, nisi dicas cum Sanchez, quadrigas has non ab hominibus, sed a belluis agi : quia belluine et tyrannice fuerunt monarchie, ut belluarum, quibus comparantur et representantur, naturam et indolem imitata, inno induisse videantur. Unde et Daniel cap. vii, 3, vidit eas representari per quatuor bestias, quas paulo ante recensui. Adde, sicut auriga potest laxatis, adductis vel flexis habenis, pro arbitratu quadrigam agere, sistere et regere quoquoersum : sic reges et monarchas suis legibus, placitis, prudentia, consilio, imperio populos sibi subjectos gubernant, et pro voluntate moderantur. Et quia triumphus est quasi regnum quoddam temporarium, decretum duobus ob partem victoriam, idcirco triumphantes quadriga vehebantur, quasi reges temporarii.

Porro veteres in quadrigis depugnasse, indeque quadrigam symbolum esse belli et regni bello parti, patet ex illo *Psal.* xix, 8 : « Hi in curribus, et hi in equis : nos autem in nomine Domini Dei nostri invocabimus. » Et *Nahum* iii, 2 : « Vox flagelli, et vox impetus rote, et equi frementis, et quadrigæ ferventis. » Et *Cant.* i, 8 : « Equitatus meo in curribus Pharaonis assilavi te. » Sic de Turno canit Virgilius *Æneid.* XII :

Possit equos atque arma simul, saltaque superbus  
Emicat in curram, et manibus molitur habenas.

Sic Isaias cap. xxi, 7, vidit in his ascensorem carnei et ascensorem asini, id est Darium et Cyrum invadentes Babylonem. Denique Ezechiel vidit currum cherubicum quasi quadrigam Dei, pergentis ad excidium Judeorum et Gentium, suppatum quatuor animalibus, leone, bove, homine et aquila. Hæc spectat illud *Deuteronom.* cap. xxxiii, vers. 26 : « Ascensor celi auxiliator tuus : » cælum enim est quasi currus bellicus Dei.

Mystice,  
sunt  
quatuor  
genera  
Sancto-  
rum.

Mystice, Clarus, Burgensis et nonnulli veteres apud S. Hieronymum per quatuor quadrigas accipiunt quatuor Evangelia, quadrupliciter a quadruplicibus præconibus toto orbe promulgata et propagata. Nam equi rufi significant apostolos et martyres, qui suo sanguine Evangelia obsignarunt. Equi nigri significant prophetas et doctores, qui profunda et quasi in antris atris abdita Dei mysteria ingressi, ibique quasi atrati, eadem in mundo predicarunt, sed atræ, id est obscure, et quasi per speculum et in enigmate, ut ait Apostolus *I Corinth.* xiii, 12. Equi jugales albi significant virgines, virginitate quasi illis candidos. Equi varii et fortes significant confessores varii Dei denis illustres. Hi enim omnes, quasi quadrigæ Dei actæ et impulse vento impetu Spiritus Sancti, cunctas gentes Christo subjugarunt. Sicut enim Deus quadrigas, id est monarchias Chaldeorum, Persarum, Græcorum et Romanorum subiecit orbem, ita multo magis eundem ineffabili sua providentia per quadrigas sanctos subiecit Christo, in ejus regnum omnes reges et regna deserunt.

DE MEDIO DUORUM MONTIUM. — Hi duo montes symbolum sunt potentiae et providentiae Dei, cuius duæ partes, et quasi montes sunt mens et voluntas, puta sapientia et decretum, sive dispositio et definitio, aut præordinatio et executio. Sensus ergo est, *q. d.* Hæc quatuor quadrigæ, id est monarchie, Dei potentia et providentia ita constructæ tenebantur et claudabantur, quasi septæ essent montibus æneis, id est fortissimis et impentrabilibus, donec manum suam laxavit Deus, eisque exeundi potestatem dedit, ut imperium occuparent, sibi que alias gentes subjicerent. Alhudi, ait Mariana, ad montem Taurum, seu Caucasum, ubi jûga montis duo in fauces coeunt, sicut porte ferreæ, de quibus Hegesippos lib. V, cap. L. Leus est sic dictus, non quod ibi sint porte, sed ob munitionem. Nam proprie ex hisc montibus egressi sunt eorum accole Persæ, qui in vastando hoc impietatis Babylonice regno fuerant primi et præcipui, ideoque requiescere fecerunt Spiritum Dei, ut dicitur vers. 8. Simili enim modo Dei providentia sua sapientia et voluntate, quasi duobus ferreis montibus inter se coeuntibus, continebat has monarchias, nisi ventos (quibus has monarchie comparantur vers. 3), antris et montium latebris ab Eolo concluditi fabulatur Poeta, qui hæc fabulam hinc mutuati

videntur, de qua Homerus *Odys.* XX, et ex eo Virgilius lib. I. *Æneid.* :

Hinc vasio rex Æolus ante  
Loctantes ventos, tempestatesque sonoras  
Imperio premit, ac vinculis et carcere frangit,  
Ni fuciat, maria ac terras, cœlumque profundum  
Quippe ferant rapidi secum.

Unde secundo, Vatablus per montes hos accipit robur istorum regum et gentium, qui sua virtute bellica monarchiam sibi pepererunt. Simili modo Arias accipit eorumdem consilium et industriam, que in bellis robori sæpe prevalet (1). Mystice, Albertus, Lyranus et Hugo, per duos montes accipiunt Israel et Judam, et quibus egressi sunt Prophete, qui quasi montes ærei, id est fortes et invicti certo et infallibiliter harum monarchiarum principium, progressum et terminum prædixerunt.

Allegorice, duo montes sunt duo testamenta, vetus Mosis, et novum Christi. Hæc enim sunt quasi duo montes inconcussi et irrefragabiles, e quibus egressa sunt quatuor Evangelia, que totum orbem occuparunt. Ita Clarus et Burgensis.

*Æneid.* — id est fortes et duri instar æris. Perperam R. David vertit, *chalybei*. Hebræum enim *נחשת* *nechoset* significat æs, non chalybem, atque æs æque duritie est symbolum, ac chalybs.

2. IN QUADRIGA PRIMA EQUI RUFI. — Mariana per Vers. 2.

equos rufos, utpote fortissimos, accipit monarchiam Romanorum, que licet ordine fuerit ultima, robore tamen et virtute fuit prima : unde prima hoc loco ponitur.

Verum alii omnes per equos rufos accipiunt monarchiam Assyriorum et Chaldeorum, que reipsa fuit prima. Hi vocantur rufi, tum quia sanguinari et crudeles fuerunt, præsertim in Judæos, quos urbe, templo, libertate et vita spoliarunt (hinc celebris illa, dira et ærumnosa captivitas Judeorum in Babylone per septuaginta annos : ita S. Hieronymus, Remigius, Hugo, Lyranus et alii) : tum quia vestibus rufis, id est purpureis et toccicis, utebantur, ut patet *Nahum* ii, 3 : « Clypeus ejus ignitus, viri exercitus ejus in coccineis. » Et S. Joannes Babylonem vocat purpuratam meretricem, *Apo.* xviii, 3, et cap. xviii, 16 : « Væ, ait, civitas illa magna, que amicta erat bysso, et purpura, et cocco. » Hic enim color ardorem animi ad preliandum notat et acuit : unde equi rufi alacriores, erectiores et animosiores sunt. Color enim rufus est accensus et ignis splendorem refert, idque melius quam rubeus, qui lamen celi et acrimoniae est index, teste Alciato *emblem.* cxvii, dum ait :

At ruber armatos equites extorât amictus.

Hæc de causa post Chaldaeos alie quoque gentes

(1) Item, Calmeto videtur montibus æreis significari has quadrigas ad populos contentendos, evertendos, subigendosque ferri. Maurer putat duos montes esse Sion et Moria.

ad prelia entes, vestibus rubris usæ sunt, ut Perse, teste Xenophonte lib. VII *Cyræopolite*: et Græci, teste Eliano lib. VI, cap. vi, præsertim Lacedæmonii. Pluribus ipsdum ex Plutarcho, Eliano et Valerio demonstrat Alexander ab Alexandro lib. I *Genial.* xx, et ibidem Tiraquellus. Verum quia primi Babylonii in bellis purpurea vel cocinea veste usi sunt, quos deinde Græci et Perse sunt imitati; hinc hic color datur Babylonii. Ita Arias et alii. Porro quid hi equi rufi egerint, non declarat Zacharias, tum quia jam præterierant; tum quia Judæis recens ex Babylone redeuntibus satis ipsdum constabat, inquit S. Hieronymus; tum quia eorum gesta noxia et funesta fuerunt Judæis, inquit Cyrillus. Angelus autem hic læta ostendit Zacharia, ut afflictos Judæos animet et consoletur.

Allegorice Clarus: Equi, inquit, rufi qui alio non sunt egressi, significant S. Jacobum, S. Stephanum, primosque similes Christi præcones et athletas, qui inter crudelēs et orientos Judæos Evangelium Christi prædicarunt; pro eoque ab illis in Judea occisi sanguine suo rubricati, non alio quam e terra in cœlum egressi sunt.

Niger sunt Perse, cur?

IN QUADRIGA SECUNDA EQUI NIGRI. — Nigri designant Persas: quia hi plus hororis et mororis, quam damni et stragis intulerunt Judæis; uti Cambyses, qui impeditur fabricam templi; et Assuerus maritus Esther, qui seductus ab Aman Judæos omnes neci addidit. Ita S. Hieronymus. Addit Arias Persas pulla et atra veste uti solitos, indeque fuscum dici, quasi pusillum et persicum. Verum ut non liquet ex historiis, imo Xenophon, loco jam citato, assertit eos in bello usos cocineis.

Vers. 2. Albiani Græci.

3. IN QUADRIGA TERTIA EQUI ALBI. — Albi denotant Alexandrum, Ptolemæum Philadelphum, et Græcos, qui clementes et benevoli fuerunt in judæos, adeo ut Alexander Jaddum pontificem pronus adorarit, teste Josepho lib. XI *Antiq.* cap. ult. Licet enim Antiochus Epiphanes ex Græcis oriundus Judæos afflixerit, tamen hæc afflictio fuit modici temporis, atque in ea Machabei victoris fuerunt candidati et illustres.

Addit Cyrillus Græcos denotari albo colore, tum quia ut plurimum veste alba utebantur; tum quia linguam planam et apertam, ac a barbarorum tenebris et obscuritate alienam habebant; tum quia delicias et convivia amabant, quorum symbolum erat vestis candida: hæc enim erat vestis festa, convivialis et læta; tum quia in bellis fuerunt felices et victoriosi, uti patet de Alexandro: candida enim vestis erat triumphantium.

Vers. 1. Martii Romani.

IN QUADRIGA QUARTA EQUI VARI, ET FORTES. — Mariana per equos varios accipit Ægyptios: hi enim ad Austrum late dominati sunt Ægypto, ac vicinis Syris et Ethiopibus, fueruntque potentes et celebres. Verum cæteri omnes per quartam hanc quadrigam accipiunt monarchiam Romanorum.

Hæc enim potens fuit et fortis, æque ac varia, tum in regimine, quia initio in regibus fuit monarchicum, deinde in consiliis aristocraticum, postea in tribunis plebis democraticum, rursum in imperatoribus monarchicum, idque ex varia gente: alii enim fuerunt Itali, alii Hispani, alii Galli, alii Græci, etc., tum quia Romani variis fuere ingenis, æque ac affectibus in Judæos: partim enim in eos benevoli fuere, uti Senatus Romanus tempore Machabeorum, quando cum eis fœdus sancivit; item Julius Cæsar, Augustus, Tiberius, Claudius; partim infensos et crudeles, ut Pompeius, Caligula, Nero, Vespasianus et Adrianus. Ita S. Hieronymus.

Pro variis hebraice est *נְרוֹדִים berudim*, id est grandinati, hoc est, maculis albis instar grandinis respersi et variegati, quos Latini guttatos vocant, ut Martiali lib. V, *Epigram.* cv, aves Numidicas guttatas vocat. Unde Syrus verit, *sparso vellere*, vel *ad flammeum colorem accedente*; Arabicus Antiochenus, *colore vermiculi*, vel *purpureo*. Rursum *pro fortes* hebraice est *אֲמֹצִימ amutzim*, quod Aquila vertit *καταρται*, vel, ut legit S. Hieronymus, *καταρται*, id est *potentes, robusti*; Septuaginta, *ἄρται*, id est *sturnini*, puta colores sturni avis: hæc enim vocatur *ἄρται*; vel *veloces*, *ἀπὸ τοῦ ἄρταρον*, unde *αὐτάρται*. Chaldæus vertit *קטקאי kitmanin*, quod Biblia Regia vertunt, *coloris cinereus*: mellus alii vertunt, *confringentes*, vel *comminuentes*, in cinerem redigentes, juxta illud quod de iisdem ait Daniel cap. II, 40: « Quomodo ferum comminuit et domat omnia, sic comminuet et conteret omnia hæc. » Origo duplex hujus versionis est, quod hebraice *אֲמֹצִימ amutzim*, proprie significat fortes, ideoque veloces, uti vertunt Septuaginta, et comminuentes omnia, uti vertit Chaldæus. Sed aliqui, inter quos est Arias, *amutzim* acceperunt pro *חַמְטָיִם chamutzim*, id est fermentatos, puta *cinereos*, hujus enim coloris est fermentum; vel *sturninos*, ut alii vertunt ex Septuaginta, sturni enim pariter sunt coloris cinerei. Unde et Syrus, etiam Vaticanus, *et fortes* omittit. Verum prior lectio *amutzim*, id est *fortes*, est vera et genuina. Porro Arias per *cinereos*, accipit Furcas, Arabes et Saracenos, qui colorem habent cinereum; præsertim Ottomanos. Hi enim partem magnam Romani imperii occuparunt sua fortitudine, quam eis indit sua lex, puta Alcornum: hoc enim jubet eis, ut armis sectam suam propagent. Verum hi Romani censeri nequeunt, cum sint Romanorum jurati hostes; nec robustissimi, cum eis longe sint robustiores Christiani Europei, uti patet in præliis. Adde, spurca et fœda est hæc Mahometis secta, nec digna hisce Zachariæ oraculis et elogiis.

Mystice, quæstioe qui sunt quatuor virtutes apostolorum.

Mystice, Alcazar in cap. vi *Apocal.* notat. 8, pag. 444, per quadricolores equos et quadrigas accipit quatuor dotes et virtutes, quibus Apostoli, virique apostolici, quasi quadrigræ Christi, ipsi totum subegerunt orbem; scilicet equos albos

denotare immaculatam sanctitatem, rufos zelum ardentem, varios sapientiam, nigros modestiam. De albore videt Alecium, *emblem.* cxvii:

Sinceri est animi et mentis siola candida pura.

Rufi denotant ardorem: quia hic color accensus est et igneus. Varii significant æternam Dei sapientiam, quæ varietatem illam Apostolorum et fidelium tanta pietritudine distinxit; multiplex enim color est multiformis ars et sapientia. Est enim spiritus sapientiæ multiplex, *Sapient.* vii, 22. Niger color significat modestiam; unde clerici et monachi S. Basilii, Benedicti, Augustini, etc., nigris vestiuntur, juxta illud *Cant.* v, 11: « Comæ ejus nigre quasi corvus, » ubi Delrio ex Hesychio, Bernardo, Alcuino, Beda, Haymone et Anselmo ostendit, nigrem symbolum esse rei contemptæ, et externa specie despicibilis, quæ fundamentum est humilitatis et modestiæ, juxta illud *Cant.* I, 5: « Nigra sum, sed formosa. »

Origo Græcorum.

Ex his Zachariæ quadrigræ ortæ videntur quatuor Circensium aurigarum factiones, totidem coloribus distincte, quæ apud Romanos et Græcos quoque sæpe tumultus concitarunt. Erant enim aurige, alii albi, alii rufati, alii prasini, alii veneti, de quibus omnibus existant epigrammata, lib. V *Anthologia*, et Dio lib. LIX, et Suetonius in *Vitellio*, cap. xiv. Albat enim respondent quadrigræ albis Zachariæ, rufati rufi, prasini nigri, veneti variis. Prasinus enim color est porraceus, sive viridis, qui conflatur ex gilvo et nigro, teste Platone in *Timæo*. Venetus color vocabatur cyaneus, sive cæruleus et marinus, ait Vegetius: mare autem ob fluctus et reverberationem radiatorum solis, varios exhibet colores, sed maxime cæruleum. Unde Arias equos varios Zachariæ censet fuisse cinereos, qui ad cæruleos accedunt. Porro hisce quatuor coloribus videntur representasse quatuor elementa, eorumque inter se dissidia et pugnas, nimirum rubro ignem; ruber enim color ignis est, et igneus: albo aërem; serenus enim aer albescit: veneto, sive cæruleo aquam et mare; prasino, sive porraceo terram, germina et porros producentem. Hæc enim quatuor elementa moderatur, interque se committit et contemperat summus universi auriga Deus. Unde de origine venetorum et prasinorum sic in antiquis historiarum Collectaneis Codice Vaticano 96, legimus: « Oenomaus primus invenit Circensium colores, quibus terre ac maris quas certamen representavit. Millebantur sortes; quem vero contigisset terre vicem agere cœrlando, ille vestem viridem induebat; cæruleam autem, qui vices maris agebat. Hoc certamen vigesimo quarto die martii Oenomaus constituit. Quod si color viridis vicisset, terre fertilitatem omnes sperabant; si cæruleus, tranquillam maris navigationem. Quare agricolæ optabant victoriam viridi color; nautæ cæruleo. »

Vers. 5.

5. ISTI SUNT QUATUOR VENTI. — Hoc est, velut

quatuor venti: Hebræi enim sæpe *caph*, quæ est nota similitudinis, omittunt, q. d. Hæ quatuor quadrigræ, id est monarchiæ, inter se confligunt ut venti contrarii, ac violentè et celeriter quasi venti subvertent omnia, quocumque irruent: denique velociter transibunt et desinent, ut faciunt venti. Alludit ad *Daniel.* vii, 2, ubi pariter Daniel hæc quatuor regna depingi vidit per quatuor ventos confligentes in mari, q. d. Iste quadrigræ sunt similes quatuor ventis ostensis Danieli: sicut enim ventis mare, sic quadrigræ terra turbatur. Ita Theodoretus, Vatablus, Sanchez hic et Pererius in *Daniel.* vii, 2. Simili phrasi dicitur Deus suscipisse spiritum Cyri, I *Esdræ* i, 1, et spiritum regum Medorum, *Jerem.* LI, 11. Insuper S. Hieronymus, Theodoretus, Remigius et Vatablus, per quatuor ventos accipiunt quatuor plagas, sive climata mundi, ad quas egressæ sunt hæ quadrigræ, ut eas sibi subijcerent. Unde Vatablus vertit: *Isti sunt quadrigræ, quæ ad quatuor ventos, vel plagas colorum egreduntur*; et Chaldæus: *Ista sunt quatuor regna, quæ sunt in quatuor ventis caeli*. Denique pro *venti*, hebraice est *רוּחֹת rucht*, id est spiritus, quales sunt angeli, æque ac venti. Unde Theodoretus, Palaeus et a Castro per quadrigras has et ventos accipiunt angelos presides regnorum, puta quatuor monarchiarum, de quibus dicitur *Psal.* ciii, 4: « Qui faciit angelos suos spiritus, » ad qui stant coram Domino. Hic sensus eodem modo. Quod enim de angelis dicitur, hoc de monarchiis illis commisit dicitur et intelligitur (1).

Moraliter.

Moraliter, disce hic regna et potentatus hujus sæculi naturam habere ventorum, æque ac quadrigarum, tum quia valida sunt et arripotentia; tum quia velocia; tum quia mox evanescent. Stultus ergo est qui ventos sequitur, quos assequi non potest, et si possit, vix tenere non posse, inquit Sanchez. Vides quadrigam principis equis quaternis, vel sensis velocibus velociter transcurrere, cogita ita transcurrere omnes orbis principatus. Sentis ventos celerrime per aera transvolare, cogita pari modo transvolare reges et regna, omnesque dignitatum apices: « Omnis potentatus vita brevis, » ait Sapiens.

Ut stent, — quasi parati ad eja jussa excipiendi et exsequenda. Nam Deus per eos punit quos vult, imo priores semper punit et everit per sequentes, uti Chaldæus per Persas, Persas per Græcos, Græcos per Romanos. Vide dicta

(1) Rectum vidisse videtur Paulus de Palacio, ait Acker-mann, qui in quatuor quadrigræ, vers. 1, et in quatuor ventis hujus versus angelos agnosci, qui ut Dei ministri ponis gentes adieciunt. Certe, inquit Rosenmüller, « tanquam tales ministri sicut illos ventos inde apparet, quod dicuntur cœrantes ad mandatum, quod acceperunt a Deo, per omnes mundi partes exsequendum, a sistendo se, postquam stiterunt se apud Deum universæ terræ, ad expectandum et caespendum jussum ejus, quemadmodum servus coram heri apparet unum ipsum observat, et quid agendum sit sibi attendit. »

Isaie, cap. x, 5, et Jerem. cap. xxv, 9 et sequentibus. Ubi nota homines omnes, licet pessimi sint, quales fuerunt multi ex his monarchis, utpote tyranni, assistere Deo quasi instrumenta et lictores ejus, ut vel populum ejus defendant, vel inpios castigent. Hebraice est *מְהִיטְאֵשׁוּ* *mehitaseu*, id est a stando; Pagninus et Tigurina, a loco ubi stabant coram Domino; Noster cum Septuaginta melius vertit, propter *standum*, id est ad *standum*; quia hebræum *מִן* *min* saepe significat propter, et subinde capitur pro *7*, id est ad. Iste enim particule et litteræ serviles per enallagen non raro inter se commutantur: *mehitaseu* ergo, id est a stando, idem est quod *lehitsau*, id est ad standum, ut sicut.

Vers. 6. 6. EQUI NIGRI EGREDIENTUR IN TERRAM AQUILONIS. — Equi nigri significant Persas qui vastarunt Babylonem, quæ est ad aquilonem Judææ, ut dixi vers. 2 (4).

ET ALII EGRESSI SUNT POST EOS. — Denotantur Alexander et Macedones, qui Persis in monarchia successerunt, eamque illis extorserunt juxta Babylonem: sedes enim imperii Persarum erat Babylon, ait Vatablus. Unde juxta eam apud Arbella Alexander profugavit copias Darii Codomanni (qui fuit ultimus Persarum monarcha), ideoque ibidem rex Asiæ proclamatus est, ac Babylonem victor ingressus, omnes ejus ditiones sibi subjecti, testibus Curtio lib. V, et Plutarcho in Vita Alexandri (2).

ET VARI EGRESSI SUNT AD TERRAM AUSTRUM. — *g. d.* Romani egressi sunt in Ægyptum: hæc enim est ad austrum Terra sanctæ, puta Judææ, juxta quam Scriptura plagas mundi describere et consignare solet. Vatablus et Arias putant id factum per Julium Cæsarem, qui primus devicit Ægyptum. Melius alii id factum censent per Augustum successorem Julii: Augustus enim per Ætiacam victoriam profugavit Antonium et Cleopatram, itaque Græcorum, puta Ptolæmæorum, in Ægypto regnum extinxit, illudque ad se et Romanos transtulit. Unde ipse primus Ægyptum fecit provinciam, teste Suetonio in ejus Vita, cap. xvii et xviii, quod Julius facere ausus non fuerat. Tunc ergo eversa tertia monarchia Græcorum, cepit quarta Augusti et Romanorum. Unde paulo post ab Augusto quasi jam monarcha, exiit edictum ut describeretur universus orbis. Ita S. Hieronymus, Ribera, Sanchez, Fernandez et alii.

Vers. 7. 7. QUI AUTEM ERANT ROBUSTISSIMI. — Hebraice *חֲמוּטִים* *hamutim*, id est illi fortes per excellentiam, de quibus vers. 3, *g. d.* Ex quarta quadriga equi robustissimi, puta Romanorum fortissimi, nutu Dei perambulabunt, id est peram-

(1) Hæc vero verba, uti videtur, non sunt amplius angeli, visum explicantis, sed Propheta, rem visam ulterius referentis usque ad finem vers. 7. (Rosenmüller.)

(2) Quadriga equorum aliorum missa est post priorem in symbolum, Judæos libertate donandos, et bilares in patriam reducidos esse. (Aukermann.)

bulando subjugabunt (uti ostendi cap. 1, 11) omnem terram. Tales successiva fuerunt Scipio, Pompeius, Cæsar, Augustus, Vespasianus, Trajanus, Constantinus, Theodosius, etc. Romani enim sensim crescentes armis et viribus robustissimi evaserunt, et plurimas gentes occuparunt. Ita S. Hieronymus, S. Cyrillus, Theodoretus, Lyranus, Hugo, Vatablus et alii (3).

Arias per robustissimos accipit Turcas et Ottomanos, ut dixi vers. 2. Melius Ribera accipit Gothos, qui fuerunt stipendiarii Romanorum, eorumque imperium propugnarunt et propagarunt, operamque insignem navarunt Maximino pugnantem contra Parthos, Constantino contra Licinium, et Honorio. Verum Gothi non fuere Romani, ac sub Honorio fœdus ruptum, et in hostes conversi Italiani, Hispaniam et Africam, quin et Romam ipsam, sub Alarico et Genserico duobus regibusque suis, vastaverunt. Itaque ob gentis copiam, pauperatam et barbariam, maximi fuere Romanorum et gentium eis fœderatarum expulsores per plures annorum centurias. Vide Orosium lib. VII, cap. xix et sequent. Rursum Gothi non perambulabant, id est occupabant totam terram. Nisi dicas eum Sanchez per Gothos accipi reges Hispaniarum, qui a Gothis prognati sunt; hi enim sensim suum imperium late propagarunt, adeoque illud extendierunt per Americam, Peru, Brasiliam totumque novum orbem. Occuparunt enim Indias Occidentales, et multa in Orientalibus, admirabili audacia, æque ac fortitudine et victoriis ad miraculum usque illustribus. Verum reges Hispaniarum nunquam (nisi sub Carolo V, in quo regnum Hispanie imperio Romano fuit conjunctum) extiterunt, aut nominati fuerunt imperatores Romanorum. Et pari ratione robustissimos hosce dicere possemus Pipinum, Carolum Martellum, et presertim Carolum Magnum, ejusque successores reges Austrasiarum, Francorum, puta Germanorum, qui vera ne et nomine fuerunt reges et imperatores Romanorum, ac eorum imperium per Austrasiam, Galliam, Germaniam, Saxoniam, Hollandiam, Angliam, Daniam et Sueciam, longe lateque vel propagarunt, vel restituerunt; uti duce Godofredo Bullonio recuperarunt Syriam et Terram sanctam.

(3) Juxta Maurer, eo loco scribendum et legendum *אֲדוּמִים* *adomim*, rufi. Certe, inquit, parum sibi constitisset vates, si quos vers. 2 dixerat *adomim*, rufos equos curru primi, vers. 7 nominasset *אֲדוּמִים* *adomim*, nominasset, inquam, eodem nomine quo tertio versu describit equos junctos curru quarto. Gravissimum vero est, quod *אֲדוּמִים* *adomim*, robustus fuit, nusquam alias relatam reperitur ad visum. Itaque nos quoque malimus accipere in significatio usitato, et quod hoc vers. 7 habetur *אֲדוּמִים* pro *אֲדוּמִים*, incerta tribuere vel ipsius scriptoris vel Hibrarij. Causam erroris facile deprehendes in omisso *אֲדוּמִים*, vers. 6. Caterum res postulat omnino ut de equis rubris junctis curru primo, quos hactenus ne verbo quidem tetigit vates, dicatur.

Adde has quadrigas Zacharie, uti et statuum quadrigidam Danieli, cap. ii, proprie significare monarchias et monarchas qui processerunt Christum: nam in Christum Christiane regnum desidero visi sunt a Daniele, vers. 44, uti et hic Zacharias eos in Orientem, id est in Christum, vers. 12, terminari conspexit.

Vers. 8. 8. ECCE QUI EGREDIUNTUR IN TERRAM AQUILONIS. — puta Persæ, qui sub Cyro, et rursum sub Dario Hystaspis, tempore Zacharie prophete, vastarunt Babylonem. Ita Lyranus, Vatablus, Arias et alii. Addunt Hebræi, S. Hieronymus, Haymo et Remigius, id fecisse non tantum equos nigros, id est Persas; sed et albos, id est Græcos. Alexander enim prope Babylonem prostravit Darium, ac Babylonem in suam potestatem redactam victor est ingressus, ut dixi vers. 6.

REQUIESCERE FECERUNT SPIRITUM MEUM IN TERRA AQUILONIS. — « Spiritum, » id est furorcm, ut vertunt Septuaginta, *g. d.* Persæ satisfecerunt mee ire, mihi que in Chaldaeos tyrannos irato, dum eos vastarunt, expleverunt meam vindictam; itaque sedarunt meum animum juste vindictæ cupidum. Quia enim Zacharias, cap. precedenti, vers. ultimo, dixerat amphoram impietatis et idololatricæ locatam et elevatam fuisse in Babylone, hinc ait hoc loco, in ejus punitione requiescere Dei spiritum, quo ipse indignabatur amulum sui idolum dominari in Babylone: ideoque ea cum suo idolo exsata, sedatum et pacatum, imo consolatum, recreatum et exhilaratum fuisse spiritum, id est voluntatem ulciscendi Dei: sicut homo læsus, ideoque iratus et furens, tandem fuerit donec se ulciscatur de hoste qui eum læsit; sed ulsione peracta furor hic, quasi sanguine hostis exsatis, conquiescit. Ita Theodoretus, Haymo, Remigius, Lyranus, Hugo, Arias et Vatablus.

Aliter S. Hieronymus ex Hebræis: « Spiritus, inquit, hic propheticus intelligitur, a *g. d.* Persæ fecerunt prophetias meas, quibus excidium Babyloni comminatus sum, in eadem conquiescere: quia eas, exsiccando Babylonem, expleverunt et executioni mandarunt.

Nota: Hæc dicuntur ad consolationem Judeorum, qui a Babyloniis vastati et in Babylonem abducti fuerant; et ad concitandum odium impietatis et idololatricæ (ejus metropolis erat Babylon), ut Judei eam abintinent, uti dinceps abominati sunt, ideoque tantum rerum a quadrigis in Babylone gestarum, puta vindictæ in ea peractæ, hic fit mentio.

Moraliter, disce hæc quam justitia justaque scelerum vindicta sit sanctæ et Deo grata. Discant ergo ex hoc loco principes, magistratus, iudices, prætores, etc. se dum sceleratos, presertim persecutores fidelium et piorum, quales erant Chaldaei, plectant, facere ut conquiescat spiritus, mens, voluntas, justitia et ira Dei, quæ antequam vindicta petagatur stridet, fervet, bullit,

milleque minarum et dirarum fulmina in corde cogunt, tam in sceleratos quam in principes et iudices qui eas non puniunt, sed tolerant, vel dissimulant, juxta illud Amos, cap. ii, 13: « Ecce ego stridabo subter vos, sicuti stridet plastrum onustum feno. » Et cap. iii, 8: « Leo rugiet, quis non timebit? Dominus Deus locutus est, quis non prophetabit? » Vide ibi dicta.

10. SCIRE A TRANSMIGRATIONE. — puta a Judæis captivis, qui vel in se, vel in suis parentibus ante 70 annos in Babylone a Chaldaeis abducti, transmigrarunt, ibique adhuc degunt et domum fixerunt. Hi enim miserunt munera in Jerusalem offerenda in templo per Hoidai, Tobiam, Idaiam et Josiam. Ponitur abstracrum pro concreto more hebræo, scilicet transmigratio pro olim transmigrantibus. Est hysterolegia. Verba enim sic ordinanda sunt: Venio, o Zacharia, in domum Josiæ, filii Sophonie, in die qua munera oblaturi sunt Hoidai, Tobias et Idaias, qui jam recenter venerunt de Babylone, atque ab eis accipies aureum et argentum, quæ quasi donum per eos transmittunt, et templo offerunt Judei qui olim in Babylone transmigrarunt, ibique adhuc degunt, ut ex eo facias coronas ponendas in capite Jesu pontificis (1).

VENIS IN DOMUM JOSIAE FILII SOPHONIE. — Hinc videtur quod tres tantum autem nominati hæc dona obtulerint, videlicet Hoidai, Tobias et Idaias, sed in domo Josiæ, filii Sophonie, qui erat templi vel ædificii, uti voluit Hebræi; vel thesaurarius, et pecunias colligebat pro templi fabrica et sumptibus, inquit Cyrillus, Haymo et Remigius; vel certe erat aurifex, qui ex auro, hoc fa-

(1) Rosenmüller, a transmigratio, id est a Judæis Babylone etiamnum exsultatibus. Neque enim omnes cum Zorobabele statim in patriam remigraverunt, quoniam rex Cyrus potestatem remigrandi omnibus fecisset; plurimi posthæc demum cum Esdra reverterunt, Esdr. vii, 6, 7. Sed et tunc magna pars in Babylonia restitit. Hi Babylonicæ Judæi (sic enim commode appellari possunt), cum de resumpta templi ædificatione audivissent, aurum, argentumque a se collectum per legatos suos nominatos, muneris loco, ad exorandum templum miserunt. Jubeatur ergo Zacharias ab exsultatibus, id est exsultum Judæorum legatis, aliquam ejus sortem argenti partem accipere.

Paula aliter sic explicat Maurer: a Res hæc est, qui mox memorantur tres homines aureum et argentum attulisse, hæc obscure indicat hic ipse versus. Sed infra vers. 14, eorumdem virorum in memoria coronæ factæ ex allato auro et argenteo, donec promissus Messias comparet, deponi in templo jubetur. Tales vero honores non his qui attulerunt, sed qui dederunt dona, tribui solet. Videtur igitur illi viri donorum datores eidem fuisse et attulisse dona, ita ut verbis prioribus vates non jubeatur accipere a Cheldai, et ceteris dona missa ab exsultatibus, verum ut a Cheldai, cum a transmigratio appositioe colligantur hæc sensus: Accipe ab exsultatibus ab Cheldai, inquam, etc. Sicut statuitur rerum actuum series juxta eundem. Primum generatim accipere aliquid a certis quilibet exsultatibus vates jubetur; deinde, ubi locus convenire debeat, dicitur; denique quod accipiendum sit dicitur, repetitio jussu.

bricaturus erat coronas. Unde et Josie nomen cum aliis tribus, coronis fuit incisum sub nomine Hem, ut patet vers. 14. Theodoretus tamen censet Josiam fuisse quartum, qui cum aliis tribus rediens Babylone, hæc dona obtulerit; statim enim sequitur: « Qui veniunt de Babylone: » ubi pronomen *qui* refert tam Josiam, qui immediate præcessit, quam tres alios: nisi dicas esse hystero-logiam, ac per eam *qui* ad solos tres, qui ante nominati sunt, referri, ut censet S. Cyrillus. Josias ergo Theodoro videtur fuisse primarius quatuor horum legatorum; vel certe hospes eorum, ut reliqui tres in domo ejus hospitarentur. Favent Hebræi, S. Hieronymus, Remigius, Albertus et Hugo, qui tradunt hos quatuor legatos fuisse Danielem, Ananiam, Azariam et Misaelem. Verum hoc valde dubium est: non enim videtur Daniel potuisse eo usque prorogare vitam. Nam anno 3 Cyri erat centum annorum, ut ostendi Proemio in *Danielon*, tuncque mortuus videtur; aut certe, ut Isidorus in ejus Vita tradit, mortuus est anno primo Darii Hystaspis, cum jam esset centum et undecim annorum. Hoc autem oracula accepit Zacharias post initia regni Darii Hystaspis, ut patet cap. 1, 1.

**Vers. 11. 41. ET FACIES CORONAS.** — Per coronas accipe coronam unam argenteam, e duabus vel tribus partialibus coronis compositam: illa enim imposita fuit capiti solius Jesu pontificis, sicut capiti Romani pontificis imponitur tiara triplici corona distincta, quam vulgus regnum vocat, ob causas quas mox afferam. Unde Chaldaeus vertit: *Facies coronam magnam*. Et Septuaginta vers. 14: *Corona erit*. Quare videtur hæc corona Jesu fuisse una totalis, ex aliis partialibus conflata, vel his instar duplèis aut triplicis diadematis redimita, ut significaret duplèem Jesu dignitatem et potestatem, scilicet ecclesasticam et civilem, puta pontificatum et principatum; aut triplicem, id est multiplicem, plenam et omnimodam. Post reditum enim e Babylone summam potestatem tam laicam quam sacra fuit penes pontifices, uti superius docet ex Josepho, lib. XI *Antiq.* cap. iv, et patet in Machabeis, qui simul fuere pontifices et principes populi; atque in Eliacim, sive Joacim pontifice tempore Judith, qui contra Holophernem quasi princeps Judæos disposuit, jussitque ut obsiderent argentis montium, per quos hostis transiturus erat. *Judith* xv. Hinc in historicis Joseph et Esdræ, lib. II, 12, ac fastis publicis, Jesu posteri et successores describuntur, non Zorobabelis. Ita Abulensis in *I Paral.* cap. vi, Quæst. VIII, Genebrardus in *Coronol.*, Sanchez et alii. Arias censet coronas hæc partiales fuisse materia plane distinctas, scilicet unam fuisse ex auro, alteram ex argento: Aurea, inquit, significabat pontificatum, argentea principatum. Hic enim illo est inferior, uti et est argentum auro. Alii duas integras coronas hic fabricatas censent, scilicet unam pro Jesu pontifice, alteram pro Zoroba-

bele principe, utramque ex auro et argento inter se commixtis. Ita Hebræi, S. Hieronymus, Remigius, Albertus, Hugo et a Castro (1). Verum Zorobabelis hic nulla fit mentio: tota enim prophætia dirigitur ad Jesum pontificem: « Pones, inquit, in capite Jesu. » Quare vel una corona duabus minoribus cincta et distincta ejus capiti imposita fuit; vel, si mavis duas totales, dicto successive, scilicet primo unam, deinde alteram illi impositam, uti censent Cyrillus, Theodoretus, Rupertus, Lyranus, Vat-blus et Clarus; sicuti imperator nunc primo coronatur corona ferrea, deinde argentea, denique aurea.

Concinnior tamen et augustior erit forma, si

(1) Duae coronas intelligendas esse, auream unam, alteram argenteam; sit Rosenmüller post Petrum de Figueiro et Christophorum a Castro, apparet tum ex terminatione plurali, tum ex dupli materia, unde פְּרָטְרָתָא *atharot*, *corona*, confli debeat; tum denique ex allegorice hujus representationis explicatio, vers. 13, ubi ad duale quid כִּי שְׂנֵימָם *kein schenem*, inter illos duos accommodatur.

Rosenmüller et Maurer, licet eorum expositiones sapientius rationalismum et heresim redoleant, hic consentientes ex parte nobiscum et ad Messiam hanc prophetiam referentes, habemus. Corona, ait prior, est signum personæ præ aliis venerandæ et sacrosanctæ; gestabatur apud veteres Hebræos non solum a rege, sed a pontifice quoque; utriusque coronæ forma tamen diversa fuisse videtur. Corona igitur dupla, unius Josias capiti imposita, geminam adumbrabat dignitatem, regiam et sacerdotalem, in una aliqua persona conjungendam, id est sacerdotium Messie (quam Josias hic representavit) Melchisedechianum, quo et rex et sacerdos Dei altissimi futurus est, *Genes. xiv*, 18; *Psal. cx* (Vulg. cix), 4; *Hebr. vi*, 20; vult, 1. Sequitur: *Et pones unam post alteram in caput Josue*; sive, ut Septuaginta et Vulgatus expresserunt, *Jesu*, qui, ut supra cap. iii, 1, ita hic nomine et omnia Messiam præfigurabat.

Unam coronam auream, argenteam alteram frangunt interpretes, ait ex sua parte Maurer. Malo utramque conflata ex auro et argento. Utraque enim uni Messie est destinata, vers. 13; cf. præterea que dicuntur statim, et impone eas capiti Josue, etc. Jam quid nisi vult corona duplex unius imposita capiti Josue? Indicat duplex dignitas, regia et sacerdotalis, in unum Messiam divinitus conferenda: cf. vers. 13, 13, coll. *Genes. xiv*, 18; *Psal. cx*, 4. Tam clara et perspicua sunt verba, et hæc que sequuntur, tamque aperte est in quem expressimus sensus, ut tædeat recentiorum nugæ confutari fusus. Quod Hitzigius posse duas coronas unius capiti imponi juberi negat, ad id responsum est jam supra. Temere idem negat, typum Messie recte et apte fieri Josuam, ut quod conveniat in Zorobabel. potius coll. cap. iv, 9. Nullius ponderis esse eum loco intelligi et vers. 15 hujus capituli Quid? quod et contrarium aptior typus erat Josua quam Zorobabel. Josua enim certe sacerdos, isque summus erat; Zorobabel nec rex, nec sacerdos. Falsissimum est, quod vers. 13 distinguunt sacerdotem a Messia clamant idem. Non a Messia, sed a rege ibi distinguitur sacerdos, et qui eo loco dicitur futurus esse rex et sacerdos. *Messias* est, vers. 12. Ipse Hitzigius, qui unam coronam pontifici maximo, alteram Messie destinatam vult, non dubitat post *et pones*, cogitare supplere unam *scilicet coronam*. Qualem interpretationem si quis proposuerit alius alio loco, quam superius illum protinus est dimissurus Hitzigius, idque jure optimo! Sic Maurer,

eam dicamus fuisse unam, sed duabus aut tribus partialibus redimitam, qualis est Pontificis Romani. Hic enim triplicatam gestat coronam: primo, quia est sponsus et princeps Ecclesie, que est victrix, triumphatrix et regnatricis totius orbis; secundo, quia regem Christum quasi vicarius representat: sicut ergo regnum Christi supereminet omnibus regnis, ita æquum fuit hoc diadema eminare inter omnia diademata; tertio, quia tribus orbis partibus, Asiæ, Africae, Europæ præest; quarto, quia ternarius symbolum est æquitatis summæ, que requiritur in Pontifice: trias enim est prima sedatio discordantis dyadis, ac liberamentum numerorum, justitiæ et rerum omnium; quinto, quia representat S. Trinitatem, cujus est sacerdos et pontifex; sexto, quia trias significat omnium virtutum rerumque consumptionem, que fuit in Christo, et suo modo debet esse in Pontifice. Denique hic exclamare libet illud Prudentii *Peristephanon*:

O triplex honor, o trifidum cultum,  
Quo nostri caput exaltatur orbis.  
Orbis christiani decus perenne!

Hæc est illa majestatis sublimitas, efficacitas triverticis, trini, inquam, illius et incomparabilis diadematis; ita Paschalius *De Coronis*, lib. IX, cap. ultimo. Similes ergo videntur fuisse hæc coronæ Jesu filii Josede, quia representant coronam et regnum Christi, æque ac illud idem representant corona triplex Pontificis: illa itaque hic in coronis Jesu Pontificis fuit typice figurata et adumbrata, præsertim quia עֲרֹוּתָא *ataroth*, id est coronæ, est plurale, non duale, ac proinde plures, tres potius, quam duas significat.

PONES IN CAPITE JESU FILII JOSEDEC. — pontificis: de hoc enim ad litteram loquitur; non enim poterat eam imponere capiti Orientis, id est Christi, ut aliqui volunt; Christum enim videre et tangere non poterat Zacharias, utpote nondum natum. Itaque ad litteram jubet hic illi Deus, ut coronam duplèem, vel triplicem imponat capiti Jesu, quasi pontifici et principi; tum ut ad litteram significet, eum in novo hoc templo fore gloriosum, itaque eum ad fabricam ejus perficiendam et ornandam animet; tum ad mysterium, scilicet ut typus sit Jesu Christi pontificis et regis, ejusque sacerdotium et regnum representet. Christum enim fuisse regem patet *Psal. n*, 6: « Ego autem constitutus sum rex. » Et *Luc. i*, 32: « Dabit ei Dominus Deus sedem David patris ejus: et regnabit in domo Jacob in æternum. » Eundem fuisse pontificem patet ex *Psal. cix*, 4: « Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech; » ac ad ipsum docet Apostolus tota epistola ad Hebræos. Porro corona est insigne et stemma pontificis, æque ac regis, tum quia uterque est quasi Deus quidam terrestris in summo dignitatis, æque ac regiminis fastigio collocatus. Deorum enim olim propria erant coronæ. Unde

Ovidius, de coronæ dignitate verba faciens lib. V *Fastor.*, sic canit:

Ille datas fasces commendat charque curule:  
Ille coronatis alta triumphat equis.

Tum quia corona monet pontificem et principem perfecte et excellentis virtutis, scilicet nil in eo esse debere, quod non omnibus numeris completum sit et absolutum; coronæ enim forma est absolutissima, utpote circulus in orbem ubique rediens. Rursum eum debere actibus heroicis radiare instar solis; solis enim coronam radiatam capite gerit. Nam, ut ait Virgilius in epigramm. *De Sole oriente*:

Sol insigne caput radiorum ardente coronæ,  
Promit ab aquis Tethyos ortus aquis.

Mystice, pontifices et principes, qui instar Christi pontificatu et principatu, quem ab eo acceperunt, recte funguntur, imponunt coronam pontificiam et regiam capiti Jesu Christi: quia ejus sacerdotium et regnum quod in Ecclesia obtinet, promovet, adauget, condecorat. Hujus rei symbolo viginti quatuor seniores quasi patriarcha et pontifices tam novi quam veteris Testamenti, Apoc. iv, 10, « procedebant ante sedentem in throno, et mittebant coronas suas ante thronum, dicentes: Dignus es, Domine Deus noster, accipere gloriam, honorem et virtutem. » Idem pro suo modulo faciunt sancti martyres, sacerdotes, religiosi, virgines, adeoque fideles quilibet, dum luctando cum mundo, carne et diabolo, eos superant, de hisque triumphant, dum ad ardua virtutum conscendunt, dum heroica opera patrant. Quando ergo vincis aeren tentationem, quando calcas suggestionem diaboli, quando frenas motus iræ, quando calcas superbiam, gulam, libidinem, acediam, coronam capiti Christi imponis; qua magis ille decoratur et gaudet, quam si auream vel gemmeam ipsi adornares. Hoc est quod ait Isaias cap. lxxi, 3: « Eris corona gloriæ in manu Domini, et diadema regni in manu Dei tui. » Porro hæc coronæ offerantur ab his qui a Babylone in Jerusalem, id est a peccato ad statum gratiæ per penitentiam revertuntur: « quia nobis proficientibus, inquit S. Hieronymus, et revertis ad meliora, per singulas virtutes nostras Dominus coronatur, imo nobis virtute penitentia coronatus, Sator in singulis coronam accipit. » Sic Apostolus Philippensis ait cap. iv: « Gaudium meum et corona mea. » Multo magis Deus de sanctis dicit: Vos estis gaudium et corona mea; ac vicissim sanctis quique animam suam ad Dei laudem et gratiarum actionem excitans, de eo dicit cum Psalte *Psal. cxv*, 4: « Qui coronat te in misericordia et misionibus, » q. d. Deus est qui tuis ipsis misericordie et virtutum operibus, que in ejus honorem quasi coronam contexis, te ipsum coronat. Quid

Moraliter, bonis operibus coronatur Christus.

Ret gerit coronam quasi Deus quidam terrestris.



Moraliter, discant hic principes se colere debere concordiam cum Ecclesia et Pontificibus, utpote quorum dignitas illis sit inferior et subalterna, adeoque connexa et unita in Christo, « ut nec regale fastigium sacerdotalem deprimat dignitatem, nec sacerdoti dignitas regale fastigium; sed in unius gloria Domini Jesu utrumque consentiat, » ait S. Hieronymus; tumque se fortunatos et felices fore. Sic Saul felix fuit, quando multis Samuelis obediuit: at ubi ab his descivit, vita et regno se suamque familiam privavit. Sic Joas, quando Joiada paruit, pius et fortunatus fuit; at ubi ejus filium Zachariam occidit, mox et ipse occisus est, II Paral. xxiv, 25. Sic Osias, quia invasit sacerdotium, adolens thymiama, lepra percussus est, II Paralip. xxi, 19. Sic Jeroboam, Achab, Jehu ceteroque reges Israel, quia a pontificibus et templo schisma fecerunt, omnes ad unum regno et vita muletati sunt. Sic Constantinus S. Sylvestri documenta secutus, gloriosus evasit. Sic Gratianus, Valentinianus, Theodosius, S. Ambrosii discipuli et assecte, nomen celebre in terra et celo consecuti sunt. Sic Carolus Magnus mirus Romane Ecclesiae, regis ac Pontificis cultor et propugnator, victoribus rebusque gestis Magni cognomen est adeptus. Principes ergo sequantur illud consilium, imo mandatum, quod S. Ludovicus, rex Franciae sapiens, regis ac pius moriens suo filio et successori Philippo testamento reliquit: « Esto, inquit, semper et per omnia devotus ac obediens Romanae Ecclesiae et Pontifici, eumque colas ut patrem spiritalem. »

Vers. 14. 14. ET CORONAE ERUNT HELEM ET TOBIAE, etc., — q. d. Postquam imposueris capiti Jesu coronas jam dictas, eas depones, et consecrabis, ponesque in templo, incisus in eis nominibus illorum quatuor virorum, qui ad eas aurum et argentum obtulerunt, scilicet Helem, Tobiae, Idaiae et Helem, ad perpetuam eorum memoriam; quia coronae haec deinceps habiturae sunt in templo, id est in domo pontificis, q. d. Pontifex qui praerit templo, deinceps praerit et regno, critique rex vel princeps: tum ut sint « memoriale, » ut scilicet aeterna sit eorum memoria et laus, qui hac oblatione tam Jesu filii Josedece, quam in eo Jesu Christi regnum et sacerdotium tacite ogoverunt, illudque professi ei se et sua consecraverunt. Ita S. Hieronymus, Theodoretus, Remigius et Lyranus.

Nota: Qui vers. 40 dictus est *Holdai*, hic vocatur *Helem*; et qui ibidem dictus est *Josias*, hic vocatur *Helem*. Erant autem binominii. Porro haec no-

sitate duplex dignitas in unam Messiam prophetam divinitus conferenda significatur.

Ceterum, observat Maurer haudquaquam opus esse ut cum Rosenmullero neutraliter capias suffixum in *שש* *schemanin*, siveque vertendum esse: *At censuram pacis erit inter utrumque*, regem inter et sacerdotem, vel, quod eodem redit, inter utrumque solum, regem et sacerdotem.

mina, quia breviora, potius quam prima illa longiora, coronis incisus fuerunt.

Moraliter, discite hic quam gratum sit Deo opes suas offerre templo, et personis illi dicatis, utpote quorum nomina donis incidi veli, ad perennem illorum famam et gloriam, ut hisce coronis non tam Deus, quam ipsi offerentes a Deo coronari videantur.

Mystice S. Hieronymus: *Holdai*, inquit, hebraice interpretatur deprecatio Domini; *Tobia*, bonus Domini, vel placens Domino; *Idaia*, notus Domini. Pro *Holdai* posuit *Helem*, quod interpretatur somnium: et in quarto loco addidit *Helem*, id est gratia; quia Daniel cap. ii, Dei invocatione et gratia, somnii Nabuchodonosoris interpretationem est consecutus. Tradunt enim Hebraei *Holdai*, *Tobiam*, *Idaia* et *Helem* fuisse danielum, Ananiam, Azariam et Misaelum. Mystice ergo his etymis significatur quod his qui ad Dominum accedunt, eumque deprecantur, ac Deo placent, ideoque Deo cogniti sunt, delur *Helem*, id est gratia, et dona, quae gratiae nomine significantur: ac *Helem*, id est somnium, id est operum deliciae, ac quies in Domini complexu et sinu, juxta illud *Cant. v, 2*: « Adjuro vos, filia Jerusalem, per capreas cervosque camperum, ne capreas neque evigilare facialis dilectam, donec ipsa veli. » Huc accedunt Septuaginta, qui pro *Holdai* vertunt, *exspectantes*; pro *Tobia*, *utiles*; pro *Idaia*, *cognoscetes*. Unde sic transferunt: *Corona autem erit exspectantibus, et utilibus ejus, et qui cognoverunt eam, et in gratiam filii Sophoniae, et in psalmum in domo Domini*. Quae explicans S. Hieronymus sic ait: « Corona, id est insigne victoriae cum Christus fuerit coronatus, his quos repraesentatur, qui expectant eum (juxta illud Pauli II ad *Timoth. iv, 8*: In reliquo reposita est mihi corona justitiae, quam reddet mihi Dominus in illa die justus iudex: non solum autem mihi, sed et iis qui diligunt, ideoque expectant adventum ejus) et intelligunt utilitatem captivitatis quandam suae, et noverunt Dei universa mysteria, ut sint in gratia filii Sophoniae, id est visitationis Domini. Et qui in Babylone dicebant: Super flumina Babylonis, ibi sedimus et flevimus, cum recordamur Sion, postquam reversi fuerint in Jerusalem, accipiant psalterium, et tympanum, et canant in Ecclesia Domini: et qui per majora peccata longo fuerant a Judea et confessione verissima, per singulos profectus suos edificent domum Domini. Fient autem omnia quae promissa sunt, si Dominum audire voluerint, et acta penitentia in bonis operibus manserint. » Unde Tertullianus lib. IV *Contra Marcion*, cap. xxxix, legit: *Corona autem erit eis qui toleraverint, q. d. Tolerantia pariet patientibus et martyribus coronam.*

45. ET QUI PROCEL SUNT, — q. d. Qui a Jerusalem et templo distant, et in locis remotis habitant, incitanti tum aliorum, tum illorum quatuor viro-

rum, qui aurum e Babylone attulerunt et templo obtulerunt, exemplo, memoria et gloria, afferent et ipsi sua dona, ad promovendam fabricam et ornatum templi. Ita Hebraei, Theodoretus, S. Hieronymus, Remigius, Albertus et alii. Sic Darius et Artaxerxes ad templum miserunt sumptus et oblationes, ut narrat Esdras lib. I, cap. vi et 7.

Allegorice, q. d. Cum Christus edificabit Ecclesiam, in eaque a Deo quasi coronabitur Pontifex et princeps, veniet ex longinquis orbis partibus Gentiles, qui eousque remoti fuerant a Deo, Christo, celo et salute, ut hanc ejus Ecclesiae fabricam promoveant. Ex Gentilibus enim creati sunt episcopi, doctores, pastores, etc., qui Ecclesiam Christi verbo et exemplo edificaverunt et propagarunt. Ita S. Hieronymus, Rupertus et Arias. Hoc est quod ait Apostolus *Ephes. ii, 13*: « Vos qui eratis longe, facti estis prope in sanguine Christi. » Unde infer vers. 17: « Ergo jam non estis hospites, et advena, sed estis cives sanctorum, et domestici Dei. » Hos venientes a longe providens Isaia, cap. lx, 1, exultat et clamat: « Surge, illuminare, Jerusalem: quia venit lumen tuum, et gloria Domini super te orta est. Leva in circuitu oculos tuos, et vide: omnes isti congregati sunt, venerunt tibi: filii tui de

longe venient, et filiae tuae de latere surgent. »

ER SCRIBIS, — q. d. Cum videbitis haec mea oracula reipsa compleri, ac praesertim ex remotis urbibus et gentibus confluisse turbas ad templum, in eoque sua munera offerre, tunc sciatis me Zachariam, qui haec praedixi, id non ex me, sed a Deo missum et inspiratum praedixisse, simulque credetis ea quae de Oriente, id est Christo, praedixi, me ex Deo praedixisse, ac proinde eadem pari certitudine suo tempore fore complenda; sunt enim haec verba Zachariae da Christo, ut patet; non Christi de seipso, uti censuit Eusebius lib. V *Demonstr.* cap. v.

ERIT AUTEM HOC, — q. d. Haec prospera et gloriosa templo, et consequenter vobis, o Judaei, obvenient, sed sub hac conditione, nimirum si Dei legi voceque obedieritis: nisi enim sitis inobedientes et rebelles, nonlite me falsitatis accusare, si haec sua meaque promissa revocet Deus. Ita Theodoretus.

Mystice, q. d. Si Christum Christique vocem et doctrinam audire et recipere volueritis, o Judaei, cognoscetis me vera de eo sub nomine Orientis, ejusque templo, id est Ecclesiae, vaticinium esse, ac omnium ejus honorum, quae ipse e celo in terram secum deferet, fietis participes: sin eum repuleritis, ipse bona haec sua a vobis revocabit, et transferet ad gentes.

## CAPUT SEPTIMUM.

### SYNOPSIS CAPITIS.

Quarunt Judaei, num jejunia a se in captivitate Babylonica ob urbis gentisque excidium sponte suscepta, jam post reditum in Jerusalem, novique templi inchoatam fabricam adhuc observanda sint? Zacharias cap. sequenti, vers. 19, responsurus, hoc capite nonnulla praemittit, doctique verum Deoque gratum jejunium esse abstinentiam ab injuriis et peccatis, obedientiam et misericordiam: ob harum enim virtutum legisque Dei neglectum, eos a Deo punitos esse captivitate septuaginta annorum in Babylone (1).

1. Et factum est in anno quarto Darii regis, factum est verbum Domini ad Zachariam, in quarta mensis noni, qui est Casleu. 2. Et miserunt ad domum Dei Sarasar, et Rogomelech, et viri qui erant cum eo, ad deprecandam faciem Domini: 3. ut dicerent sacerdotibus domus Domini exercituum, et prophetis, loquentes: Numquid flendum est mihi in quinto mense, vel sanctificare me debeo, sicut jam feci multis annis? 4. Et factum est verbum Domini exercituum ad me, dicens: 5. Loquere ad omnem populum terrae, et ad sacerdotes, dicens: Cum jejunaretis, et plangeretis in quinto et septimo per hos septuaginta

(1) Post parentheticum sermonem, 1, et emblematicum, n-vi, sequitur sermo didacticus, qui veluti prioris partis Zachariae vaticiniorum secundam partem conficit, et quomonia et consilia varia, nullis imaginibus et allegoriis involuta, continetur.

Primo, notato tempore, proponitur occasio sermonis ex questione sacerdotibus facta, circa jejunium in captivitate observatum, an etiamnum sit continuandum, 1-3.

Secundo, exponitur sermo a Deo Propheta commissus, 4, quo fit responsum, primo, vituperans observ-

tionem jejunii preteritam, ex eo quod ex mero suo arbitrio jejunium elegerint, 5, 6; et quod antecessorum more illud cum observatione legis non conjunxissent, 7; secundo, exponens quid Deus pro primis cupiat, et quid pro jejunio et placentia (ab ipsis instituto), aut certe in jejunio sibi maxime placeat, scilicet, exercitium justitiae ac misericordiae, 8; et abstinentiam ab injuria erga proximum, 10; tertio, enarraans, tum antiquorum contumacem legis neglectum, 11, 12, tum inflictae illi inde poenas gravissimas, 13, 14.

annos: numquid jejunium jejunastis mihi? 6. Et cum comedistis, et bibistis, numquid non vobis comedistis, et vobismetipsis bibistis? 7. Numquid non sunt verba, quae locutus est Dominus in manu prophetarum priorum, cum adhuc Jerusalem habitaretur, et esset opulenta, ipsa et verbes in circuitu ejus, et ad Austrum, et in campatribus habitaretur? 8. Et factum est urbes Domini ad Zachariam, dicens: 9. Haec ait Dominus exercituum dicens: Judicium verum judicate, et misericordiam et miserationes facite, unusquisque cum fratre suo. 10. Et viduam, et pupillum, et advenam, et pauperem nolite calumniari: et malum vir fratri suo non cogitet in corde suo. 11. Et noluerunt attendere, et averterunt scapulam recedentem, et aures suas aggravaverunt ne audirent. 12. Et cor suum posuerunt ut adamantem, ne audirent legem, et verba quae misit Dominus exercituum in spiritu suo per manum prophetarum priorum: et facta est indignatio magna a Domino exercituum. 13. Et factum est sicut locutus est, et non audierunt: sic clamabant, et non exaudiam, dicit Dominus exercituum. 14. Et dispersi eos per omnia regna, quae nesciunt: et terra desolata est ab eis, eo quod non esset transiens et revertens: et posuerunt terram desiderabilem in desertum.

Vers. 1.

4. ET FACTUM EST. — Est hystero-logia: haec enim verba ponenda sunt post legationem et questionem Judeorum: illi enim responderunt. Unde post eam vers. 4 iterantur. Haec ergo verba quasi titulus prophetiae hujus capitis, more Prophetis usitato proponuntur: deinde vers. 2 occasionem prophetiae hujus enarrat, dicens: « Et miserunt, » q. d. Cum misissent principes legatos ad consulendum sacerdotes et prophetas, tunc factum est verbum Dei ad Zachariam, respondens legatorum questionem.

IN ANNO QUARTO DARI — Hystaspis regis Persarum, qui Cambysi Cyri filio post Magos successit. Hic annus quartus fuit 12 a soluta captivitate Babylonica, et reditu Judeorum in Jerusalem: hic enim reditus contigit anno 1 monarchiae Cyri. Cyrus autem tres tantum annos regnavit ut monarcha, uti tradunt Hebraei; cui successit filius Cambyses regnans per 7 annos: quo defuncto intruserunt se per dolum Magi, regnantes per annum: his trucidatis successit Darius, Hystaspis filius, cuius anno 4 hoc oraculum accepit Zacharias, cum jam templi fabrica valde assurgeret: illa enim coepit esse anno 2 Darii, et finita anno 6 ejusdem, ut jam saepius dixi (1).

MENSIS NONI, QUI EST CASLEU. — Qui respondet nostro novembri. Hic enim mensis est nonus a nisan, sive martio, qui primus erat mensis anni sacri apud Hebraeos.

Vers. 2.

2. ET MISERUNT AD DOMUM DEI SARASAR, ET ROGOMMELECH, ET VIRI QUI ERANT CUM EO. — Quibus primo, quinam hi? Hebraei, Haymo, Remigius et Hugo censent hos fuisse Persas, principes Darii, sed proselytos, hoc est, conversos ad Judaismum, qui proinde jejunantibus Judaeis ipsi quoque jejunabant, ideoque jam mittere legatos

(1) Scripta igitur haec sunt biennio post illa quae supra legimus, cap. 1. 1-7, totidemque annis ante absolutum templum, Eadr. vi, 15. Quo tempore probabile est templum jam magna ex parte fuisse restitutum.

qui rogant sacerdotes an post solutam captivitatem, et inchoatam templi fabricam adhuc jejunare debeant? Unde sequitur hanc legationem missam e Perside.

Secundo, alii apud Theodoretum censent hos viros fuisse Cuthaeos, puta Samaritas, quos Salmanassar rex Cuth aliusque urbibus Assyriae transiit in Samariam, qui ut Deum terrae suae, scilicet Samariae, colerent cum diis patriis, puta Assyrii, Judaizabant, et cum Judaeis ad Samaritis jejunabant. Unde sequitur hanc legationem missam e Samaria.

Tertio, Rupertus, Lyranus, Arias et Vatablus censent eos fuisse Judeos, sed in Babylone, aut in vicinis Babyloni regionibus adhuc degentes.

Quarto, probabilis alii censent eos fuisse Judeos in Judea, sed extra Jerusalem in vicinis oppidis habitantes; hoc enim indicat responsio Zachariae facta, dicens: « Loquere ad omnem populum terrae, et ad sacerdotes, dicens: Cum jejunaretis, » etc. Haec Theodoretus et Chaldaeus qui censent eos fuisse Bethelitas, uti mox plenius dicam.

AD DOMUM DEI. — Hebraice est Bethel; quod si appellative sumas, significat domum Dei. Et ita vertunt Noster, R. Salomon, Pagninus et Vatablus. Alii accipiunt Bethel ut nomen proprium. Unde Septuaginta vertunt: Miserunt in Bethel. Bethel enim erat civitas decem millibus passuum distans a Jerusalem, ubi Jacob vidit scalam, et per eam descendentes et ascendentes angelos in coelum, Genes. XXVIII. Verum non est credibile eo missam fuisse hanc legationem: missa enim fuit ad sacerdotes, qui debebant in Jerusalem. Unde secundo melius Chaldaeus vertit: Miserunt de Bethel, q. d. Judaei habitantes in Bethel miserunt ex ea legatos in Jerusalem. Tertio, alii censent Bethel esse nomen viri, aequae ac Sarasar. Unde vertunt: Et misit Bethel Saretser, etc. Verum longe melius Noster Bethel vertit, domum Dei, ut signi-

ficat terminum ad quem haec legatio missa est, fuisse domum Dei sive templum, ut liquet ex sequentibus. Templum enim erat locus orationis, aequae ac oraculi, quod omnes Judaei adire et consulere solebant. Saretser videtur esse nomen officii: Saretser enim hebraice idem est quod praefectus thesauri, puta thesaurarius, vel quastor. Ita R. Abraham et Arias, qui pariter tale nomen esse censent Rogommelech, quod ipsi vertunt, regius dux; pro quo Septuaginta in editione Romana corrupte habent, Arbesser rex; aut, ut alii legunt, Arbat rex Sagat, scilicet urbis. Melius Septuaginta in editione Complutensi legunt, Rogom rex. Sic enim est in hebraeo: nam melech idem est quod rex; quamquam non sit verisimile hunc Rogum fuisse regem: ergo melech, vel est nomen proprium, et appendix Rogom; vel certe in genitivo vertendum. Rogom regis, scilicet dux, vel officialis. Syrus vertit, ravanog, id est princeps pistorum vel coquorum. Rab enim vocatur, major, princeps; mog est pistor, et is qui in coquina cibos parat. Arabicus vertit, Sarasar et Arphasar, Moloc (1).

Vers. 3.

3. NUMQUID FLENDUM EST MIHI IN QUINTO MENSE. — Puta in julio, qui hebraice Ab dicitur, cuius die decima templum combustum fuit a Chaldaeis, aequae ac urbs et muri diruti, ideoque eo die quotannis Judaei sibi indixerunt luctum et jejunium, ut patet IV Reg. xxv, 9, et Jerem. LI, 12; idque continuatur per septuaginta annos captivitatis Babylonicae, ac deinceps donec captivitas Babylonica, ac deinceps donec templum rursus edificari ceptum. Cum ego viderem jam templi fabricam crescere, jure quaerunt an adhuc templi praeteritum incendium flere, et per jejunium lugere debeant; an vero ob novi fabricam se exhilarare et exultare? Cessante enim causa cessat effectus, imo mutata causa mutatur effectus: templo ergo restaurato videtur luctus

vertendus in gaudium. Haec est quaestio, et causa quaestio.

VEL SANCTIFICARE. — Hebraice חֲנֹךְ hinnazer, id est nazareare, hoc est agere nazareum, instar nazareae abstinere a vino et deliciis, ac jejunare juxta legem eis praescriptam Numer. cap. v. Unde Chaldaeus vertit: Numquid prohibeo animam meam a deliciis, sicut feci jam multis annis? Pagninus: Numquid febo separando me a cibus? Tigurina: Num religiose abstinere? Vatablus: Num separabo me? scilicet a cibus et voluptatibus; Noster cum Septuaginta vertit, sanctificare: quia sanctificatio Judeorum, praesertim nazareorum, sita erat in abstinentia et jejunio: quo enim mens magis se abstrahit ab esibus rebusque corporeis, eo magis fit spiritalis, magicisque assurgit ad Deum, ejusque illustrationum et affectionum coelestium fit capax. Unde Ecclesia in praefatione Missae, tempore Quadragesimae, canit: « Deus qui corporali jejunio vitam comprimis, mentem elevas, virtutem largiris et premia. » Quocirca S. Chrysostomus serm. 1 De Jejunio: « Jejunium, inquit, angelorum est imitatio: jejunans ferme angelus est. » Idem, homil. 1 in Genes.: « Jejunium in paradiso institutum est, ideoque paradisi est vita.

Moraliter, discite hic, tempore cladis et calamitatis vel publicae, vel privatae, confugiendum esse ad fletum et jejunium, ut per poenitentiam, Deum iram placemus. Nam, ut ait S. Chrysostomus serm. 1 De Jejunio: « Jejunium sententiam Dei revocat, et immortalitatis est conciliator. » Idem, homil. 2 in Genes.: « Jejunium, inquit, animarum tranquillitas est, decor senum. » Ita Josephus, obsessus a Moabitibus, Ammonitis et Dumelis, toti Judaei jejunium imperans, a Deo auxilium per miraculum obtinuit, quo hostes in se versi multa se caede confecerunt, II Paral. xx, 3. Ita Israelitae, obsessi a Philistaeis tempore Samualis, jejunantes eos profligarunt, I Reg. vii, 6 et 13. Ita iidem, Holoferne eos invadente, indixerunt solemne jejunium, eoque victoriam impetrarunt per Judith, cap. iii, 8. Idem fecerunt tempore persecutionis Aman, Esther iv, 16, et tempore reditus e Babylone, ut in itinere hostium manus evaderent, I Esdra viii, 21. Sic et Ninivite jejunio communi tam junctorum et infantium, quam virorum et mulierum exidit a fona comminatum effugerunt, Jona iii, 8. Quocirca imminente Judaeis exidit Chaldaeorum, Deus per Joelem, 1, 4, illud evadendi hoc dat remedium: « Sanctificate, ait, jejunium, vocate coetum, etc., et clamate ad Dominum. » Et cap. ii, 12: « Convertimini, ait, ad me in toto corde vestro in jejunio, et in fletu, et in planctu. » Hoc ergo faciunt fideles cum flagellum Dei, vel reipublicae, vel enique privatim imminet, ut sibi quisque a Deo per Zachariam tunc dici putet: hinnazer, id est esto nazareus, separa te a deliciis, a cibus, a insubis, a voluptate, ac da te austeritati, absti-

Moraliter, in clare jejunio consistendum est Deo.

(1) Juxta Rosenmüller, cum templum Hierosolymitanum nusquam בית אל bethel appellatur, verum semper oppidum satis notum designat, et hoc loco cum veteribus, praeter Hieronymum, omnibus ita capiendum arbitratur. Illic vertit locum sic, misit Bethel, id est miserunt Bethelenses, Scharzerum, etc., etsi ut nomen urbis, proprio sit femininum, hoc tamen loco, ubi illius incolae spectantur, masculinum sanitur.

Maurer e contra fatetur illam interpretationem non sibi satisfacere, et hanc proponit: Nomen ad quos vers. 3 dirigitur responsum, eoslem probable est proposuisse interrogationem? Nam vero ad omnem populum terrae, vers. 8, dicens dicenda jubetur vates. Maxime legitur probabile mihi videtur, domum Dei hic significari familiam Dei, id est populum Judaeorum: cf. cap. ii, 7, et Hos. vii, 1. Quod Hosea loco, Judaeorum populus appellatur בית יהוה beth Jova, hic vero בית אל bethel nullius momenti discrimen est. Fortasse consilio bethel de populo dixit vates, quoniam melius Jova versus primo dixit de templo: Non vereor ne dicat aliquis, quominus bethel diceretur Jove populus, impellivisse quod mali omnino nomen fuerit Bethel. Nam quo Zacharias vixit tempore, urbs illa dudum dederat sedes esse cultus deorum fictorum (Maurer.)



mentis, orationi et lamentis, iisque te sanctifica, ut Deum tibi reconcilies.

Vers. 5. 5. CUM JEIUNABERIS ET PLANGERETIS IN QUINTO (scilicet mense, ob combustam in eo urbem et templum, ut dixi): ET SEPTIMO — mense, ob casum in illo Godoliam, qui erat dux et spes populi reliqui in Judæa, cum ceteri a Chaldeis abducentur in Babylonem, Jerem. xli, 1 et sequens.

NUMQUID JEIUNIUM JEIUNASTIS MIHI? — Anlequam directe quæstioni respondeat (quod facit cap. viii, vers. 19), objurgat Judæos, quasi adhuc iis suboffensus ob præteritas noxas, q. d. Quid me rogatis de jejuniis vestro prorogando, vel inhiendo, quasi ego eo delector, vel ejus cura me tangat? Irrais: illo non delector, illud non curo, imo sperno et averso; quia hucusque vobis, id est ob vestram paupertatem, et ad lugendam vestram captivitatem jejunastis, non ut mihi placeretis meque placeretis: si enim hoc voluissetis, jejuniis corporis debuissetis condire jejuniis animæ, et abstinentia a peccatis. Hoc autem non fecistis, sed iis indulgistis. Similiter cum jam comeditis et convivia agitis, id facitis ob vestram lætiam, quam ex reditu in patriam et libertate percipitis, non vero ut mihi ejus auctori gratias agatis, meque laudatis et celebretis. Ita S. Hieronymus, Theodoretus et Remigius.

Paulo aliter Vatablus, q. d. Numquid utilitatem aliquam aut voluptatem cepi ex vestro jejuniis? q. d. Non, quia non fuit mihi gratum, eo quod non fuerit conjunctum pietati et religioni.

Moraliter, S. Gregorius hom. 16 in Evangel. explicans hæc Zachariæ verba: « Sibi, inquit, comedit et bibit, qui alimenta corporis, que sunt communia dona conditoris, sine indigentibus percipit. Et sibi quis jejunit, si ea que sibi ad tempus subtrahit, non pauperibus tribuit, sed ventri postmodum offerenda custodit. Hinc per Joëlem dicitur: Sanctificate jejuniis. Jejuniis quippe sanctificare, est adjunctis bonis aliis dignam Deo abstinentiam carnis ostendere. Cesset ira, sopiantur jurgia. Incassum enim caro atteritur, cum per prophetam (Isaiam cap. lviii) Dominus dicat: Ecce in die jejunii invenitur voluntas vestra. Ecce ad lites et contentiones jejunatis, » etc.

Vers. 7. 7. NUMQUID NON SUNT VERBA? — Primo et genuine, q. d. Numquid hæc eadem verba, nimirum quod jejuniis vestra non condita operibus bonis, sed malis mihi displiceant, olim vobis per Prophetas locutus sum? q. d. Omnino id ipsum edixi per Isaiam cap. lviii, 4, Jeremiam cap. xiv, 12 et alibi. Ita Theodoretus et Lyranus, Secundo, S. Hieronymus, Hugo et a Castro verba hæc intelligunt ea que subdit: « Judicium verum judicate, et misericordiam et miserationes facite, » etc. Tertio, Albertus exponit, q. d. Numquid hæc verba de excidio et desolatione Jerusalem, que jam impleta videtis, vobis locuti et comminati sunt Prophete, nisi a peccatis respiceretis? Aut, ut Vatablus, qui per

verba intelligit facta, que verbis suis prædixerunt et minati sunt Prophetas, q. d. Numquid non hæc tristitia que vobis obvennerunt, facta sunt ad exsequenda, et opere complenda verba mea, que per Prophetas prolocutus sum?

ET AD AUSTRUM. — Nominat partem australem et campestem Judææ, quia ea, utpote plana et patens, natura loci non erat munita, q. d. Olim habitabatis confidenter et secure, etiam in ea parte Judææ que erat maxime debilis et infirma, eo quod vos ego protegerem; at quia me exacerbastis, hinc tradidi vos Chaldeis. Ita Vatablus. Addit S. Hieronymus eam nominari, quia maxime erat fertilis, q. d. Ego australem vestram regionem et campos implevi messe, frugibus et fructibus: sed vos ingrati, mihi fuisistis rebelles; hinc ego ex ea vos expuli, projeci in Babylonem.

9. MISERICORDIAM ET MISERATIONES FACITE. — Hæc Vers. 9. geminatio significat multam crebramque faciendam esse misericordiam. Nominat tantum ea officia que spectant proximum, sed sub his intelligit ea quoque que spectant Deum. Dilectio enim proximi presupponit dilectionem Dei, ex eaque quasi ex fonte oritur. Idem facit Apostolus Rom. xiii, 9.

10. PAUPEREM NOLITE CALUMNIARI. — Chaldeus Vers. 10. et Septuaginta: Nolite opprimere: utrumque significat hebreum אָשַׁק asac; quia finis calumnie est oppressio, direptio et expulsi pauperum. Hæc eadem in jejuniis Judæorum taxat Isaias cap. lviii. Vide ibi dicta.

11. AVERTERUNT SCAPULAM RECEDENTEM. — Fuit Vers. 11. runt inobedientes et rebelles: famuli enim herorum, et filii parentum jussis refractarii et perversi, ab iis avertunt faciem, dorsumque obvertunt, et protervi abeunt. Unde Septuaginta vertunt: Dederunt dorsum contemnens; Pagninus: Dederunt scapulam aversam. Est catachresis. Tigurina vertit: Obvertentes humerum rebellem, q. d. Averterunt humerum ab onere preceptorum meorum: ut sit metaphora a bajulis onus detestantibus, vel excutientibus.

AURES SUAS AGGRAVAVERUNT, — velut plumbo, aliove pondere injecto aures obturaverunt, ne meas leges et monita auribus exciperent, et in animum transmitterent. Tigurina vertit: Aures suas hebetarunt.

12. COR SUUM POSUERUNT DURUM, ut addit Chal- Vers. 12. deus) ET ADAMANTEM. — Hic enim lapis est durissimus, qui respicit scalptra et malleos, quin et ipsos dirumpit: ideoque a Græcis dicitur ἀδάματος, id est indomabilis. Vide dicta Ezech. capite iii, vers. 9.

PER MANUM PROPHETARUM, — per Prophetas quasi organa et instrumenta sua: manus enim est organum organorum, ait Aristoteles. Manus ergo hic denotat os: per os enim Prophetarum locutus est Deus, non per manum.

13. SIC CLAMABUNT, ET NON EXAUDIAM. — « Cla- Vers. 13.

maunt, » id est clamaverunt, vel clamant: pendente enim hæc omnia ab eo quod præcessit: « Et factum est. » Ita S. Hieronymus et Theodoretus. Unde clare Tigurina vertit: Et evenit ut sicut ipse clamaverat, illique non audiverunt: sic jam clamant, nec eos exaudiam.

Vers. 14. 14. DISPERSI EOS PER OMNIA REGNA. — Judæi enim partim ex Babylone, partim ex Jerusalem fugientes Chaldeos, sparserunt se per Syriam, Ægyptum, Mesopotamiam, Persidem, Mediam, aliaque regna. De Judæis enim, id est de duabus tribubus, hic agitur, non de decem, sive de Samaritis in Assyriam jam olim abductis. Ita S. Hieronymus. Pro dispersi hebraice est אֲסַרְסָר asaar-em, id est instar procellæ abripui eos, ut turbo proturbavi eos.

ET TERRA DESOLATA EST AB EIS (Hebræus Chaldeus et Septuaginta, post eos: causam subditi), EO QUOD NON ESSET TRANSIENS ET REVERTENS, — q. d. Post abductos in Babylonem Judæos, Judæa desolata remansit: quia nemo incolarum relictus est, qui per eam transiret, iret et rediret. Nemo, id est vix ulli, rari et perpauci. Aliqui enim a Chaldeis in ea relictis sunt ad colendam terram, ut patet IV Reg. xxy, 12. Aut potius, q. d. Judæa plane desolata est, ita ut non esset qui per eam transiret et rediret: sic enim alibi sæpe dicitur eo quod non causam denotat, ut sit idem quod quia, sed effectum et consequentem, significans ita ut, inquit Vatablus. Unde Hebræus et Chaldeus ad

verbum habent: Terra desolata est post eos a transiente et revertente, id est ita ut non esset per eam transiens et revertens. Minus recte ergo Theodoretus versionem Septuaginta sic explicat, q. d. Post Judæos abductos in Babylonem, Judæa desolata est ab Idumæis, Ammonitis, aliisque vicinis gentibus hostilibus, qui per eam predandi et explandæ causa transierunt, et cum præda domum reversi sunt. Hic enim hebraismus, a transiente et revertente, non aliud significat quam, ut non esset transiens et revertens.

ET POSUERUNT TERRAM DESIDERABLEM IN DESERTUM. — Hebraice, terram desiderii, id est ob elegantiam, fertilitatem et abundantes fruges summe desiderabilem: et, ut Septuaginta, electam. Ita Albertus et Hugo. Addit Lyranus eam fuisse desiderabilem ob Christum in ea nasciturum, et passurum pro salute hominum. Sensus est, quasi dicat: Suis sceleribus fuerunt causa desolationis Terræ sanctæ, que prius lacte et melle manabat. Hebraice est, אֶרֶץ לֶשְׂמָנָה lescanna, quod secundo, verti potest, in stuporem, ut scilicet quicumque viderit tantas tante cladis ruinas, coherescat et obstupescat. Tertio, Arias pro lescanna per diuresim legit אֶרֶץ לֶשְׂמָנָה le sepana, id est in qua quid. Unde vertit, posuerunt terram exoptatam in qua quid? de qua scilicet viatores stupentes interrogarent, dicerentque: Quid in terra sancta boni, quid pristina fertilitatis et felicitatis remansit? Utique nihil.